

7. Honor et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: si regum fulgore compareres, et principum diademati, longe erit id inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compareres, quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et deosculata eorum dextera, orationibus eorum se credunt communicari. *Ambr. in suo pasto.*

8. Nihil in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri potest, et quum dignitatem eorum oculis demonstramus, digne noscamus, quid sumus, et quid sumus professione: actione potius, quam nomine demonstramus, ut nomen congruat actioni, et actio respondeat nomini: ne sit honor sublimis, et vita proclivis, ne sit deifica professio, et illicita actio, ne sit religiosus amictus, et irreligiosus profectus, ne sit gradus excelsus, et deformis excessus, ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam: ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam, ne digne nobis respondeatur à Domino per prophetam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Ibidem.*

9. Sicut senatorem chlamys ornat, sicut agriculturam rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam navigationis peritia, et singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat actores, sic Episcopum non aliter nisi episcopalis operatio designat: ut ex bono opere magis, quam ex professione noscatur: plus meritis esse episcopus, quam quod nomine vocitetur. *Ibidem.*

10. Sicut levius est de plano corruere, sic gravius est, qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina, quæ de alto sit graviori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est: sed si ruinam sustineat, dolor magnus est: nam quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam dilabitur, ruina gravior est. Non enim est tanti gaudii excelsa tenere, quanti mœroris est

de excelsis corruere. Nec constat tantam gloriam sequi victoriam, quantam ignominiam post ruinam. *Ibidem.*

11. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet solitudine circumvallari. Cui plus creditur plus ab eo exigitur, sicut scriptum est: Scienti legem et non facienti, peccatum est grande, et servus sciens voluntatem Domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multum. *Ibid.*

12. Sic polleat episcopus sapientia, ut non solum sibi creditum populum, sufficienter doceat, verum etiam cunctarum hæresum quærat conditiones à Catholica repellere ecclesia, ne sua imperitia imperitos minime doceat, et hujusmodi casu prævento eveniat illi, quod scriptum est: *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt: qui vero talem se, ut diximus, esse ignoret, sacerdotium minime appetat, nec locum alterius usurpare præsumat, præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda illustrare. Ibidem.*

13. Non linguam ad convilium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo et divina libat sacrificia, litium venena proferat, quia non deest de ore Episcopi benedictionem simul et maledictionem egredi, ne per eandem linguam, qua Deus laudatur, homo maledicatur, quia non potest de uno fonte dulcem et amaram, producere aquam. *Ambr. super ill. Apo. Non litigiosum.*

14. Opus naturæ, non dignitatem, laborem, non delicias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, ut fiat servus et minister hominum propter Christum, ut intermissa Rachelis decora facie, intret ad Liam oculis lippam, de monte cum Moyse descendat ad campos, id est de otio contemplationis, ad laborem actionis. *Hier. super ill. Si quis Episcop. desiderat.*

15. Tanta debet esse conversatio et eruditio Pontificis ut omnes molus et gressus et universa ejus opera notabilia sint. Veritatem mente concipiat, et eam toto habitu resonet, et ornata, ut quidquid agit,

quidquid loquitur, doctrina sit populorum. *Ibidem.*

16. Quidam non quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delimiti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, et, ut deteriora laceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrabunt. *Hieron. in quadam epist.*

17. Apud viros bonos indigna ipsa sit dignitas, quam multi indigni possident: frustra enim se jactat habere dignitatem, cujus non exhibet operationem. *Ibidem.*

18. Talis debet esse dispensatio regiminis, ut is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus arridens timeri debeat: et iratus amari, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, aut immoderata severitas odiosum. *Gregor. 3. mor.*

19. Miscenda est levitas severitati: faciendo quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur: hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna erat: quia cum scripturæ sacræ scientia in boni rectoris sit pectore, sit virga discretionis, sit manna dulcedinis. *Ibidem.*

20. Hinc Davit ait: *Virga tua et baculus tuus, etc.* Virga enim percutimur, et baculo sustentamur. Sit ergo discretio virgæ, quæ feriat, sic et consolatio baculi, quæ sustentet. *Ibidem.*

21. Moyses sic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis, nec sibi parceret, et tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret: utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis: causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gaudiis allegavit. *Ibidem.*

22. Subtilissima ars vivendi est culmen tenere: et gloriam reprimere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire: ad largienda dona potentem se agnoscere, ad repetenda noxia omne, quod

potenter valet ignorare. *Gregor. lib. moral.*

23. Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. *Gregor. ho. 11. super Ezechiel.*

24. Ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. *Ibidem.*

25. Tunc fuit laudabile episcopatum quærere, quando per hunc quandocumque dubium non erat, ad supplicia pervenire. *Gregor. in pastoral.*

26. Sicut, qui invitatus renuit, quæritus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est proculdubio repellendus. *Gregor. in regist.*

27. *Dejecisti eos, cum alleventur:* quum allevatur, dejecitur qui honoribus proficit, et moribus cadit. *Ibidem.*

28. Quid nos o pastores, agimus, quando mercedem consequimur, et lamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna ecclesiæ minime in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit sine labore hanc percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio vel prædicationis, ut dignum est, insudamus. *Gregor. in hom. 7. super. Dignus operari, etc.*

29. Tolerabilius Deo est, ut in infirmitate quis atque ignorantia cum humilitate jaceat, quam cum elatione alta comprehendat. Quanto quisque hinc altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur, eisque ipsis populis mente et cogitatione supponitur, quibus præponitur dignitate. *Greg. super Ezech.*

30. Male se rectum putet, qui regulam summæ rectitudinis ignorat, non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne

qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quæ et resecare debuit, ipse committat. *Gregor. in moral.*

31. Locus regiminis cum regendus offertur in se prius necesse est, ut quisque discutiat, si loco vila congruit, si ab onere actio non dissentiat, ne justus omnium rector, eo post in tribulatione preces non audiat, quo ipsa quoque ejus, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat. *Gregor. in pastoral. et in moral.*

32. Ab imperitis pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur, cum sit ars artium, regimen animarum: hoc est, magisterium disciplinæ: ut culpis discrete noverit parcere, et pie resecare. *Gregor. in pastoral.*

33. Illi præ cæteris Deum videre sublimem merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt, et dum ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscat. *Gregor. in homil.*

34. Quum igitur is, qui subest, servit ad obsequium, restat proculdubio, ut is, qui præest serviat ad verbum: et quum is, qui subest, jussis obtemperat, oportet, ut is, qui præest, curam sollicitudinis impendat. *Gregor. in moral.*

35. Usus rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicit: nec obedientiam subjectis imperet, quam prælatis non novit exhibere. *Greg. lib. 1. dialog.*

36. Qui adhuc impugnantium certamina vitiorum per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant: quum vero tentationum bella jam subegerint, quoniam apud se de intima tranquillitate securi sunt, custodiam sortiantur animarum. *Gregor. in moral.*

37. Quum majores voluptati deserviunt, minoribus lasciviæ fræna laxantur: et tanto licentius hostis ad feriendum occupat, quanto hi, qui pro culpis intercedere poterant, voluptati vacant. *Ibidem.*

38. Pensandum valde est, ad culmen regiminis, quisque qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens qua-

liter vivat, et bene vivens qualiter doceat, et recte docens, infirmitatem suam quotidie cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut præventioni vita contradicat: aut vitam doctrina destituat: aut doctrinam præsumptio extollat: virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat. *Greg. in pastoral.*

39. Tanto debet populi actionem actio transcendere præsulis, quando distare solet à grege vita pastoris? *Ibidem.*

40. Si dilectionis testimonium est cura pastoralis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, summum pastorem convincitur non amare. *Ibidem.*

41. Misisti manum ad aratrum, opus est fortitudinis et constantiæ: speculator factus es, opus est prudentiæ, debitor es sapientibus et insipientibus, opus est justitiæ, prædicare debes, opus est temperantiæ. *Bern. in quadam epist.*

42. Scholares et pueri et impuberes adolescentuli, ob sanguinis carnalitem, ad ecclesiasticas promoventur dignitates, et à ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim, quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum. *Bern. in ep. ad Archiep. Lenonem.*

43. In alto posito non altum sapere difficile est, et omnino inusitatum, sed quanto inusitatus, tanto gloriocisus. *Bern. in epist.*

44. Nunc audi canticum meum minus suave, sed salutare. Monstruosa res, gradus summus, et animus infimus: sedes prima, et vita ima: lingua magniloqua, et manus otiosa: sermo multus, et fructus nullus, vultus gravis, et actus levis: caput canum, et cor vanum, facies rugosa, et lingua nugosa, ingens auctoritas, et nutans stabilitas. *Bern. de consid. lib. 2.*

45. Nullus dicat esse unius meriti sive virtutis, socialiter vivere, et utiliter præesse: in moribus enim antecellunt, et superiores existunt, qui superiores esse sciunt: unde illud, *Qui bene præsunt presbyteri, duplici habeantur honore. Bern. super cant. serm. 18.*

46. Si rebus raritas pretium facit, nihil in eccle-

sia pretiosius, nihil oplabilius est bono utilique pastore, nempe rara avis est ista, juxta illud: Rara avis in terris nigroque simillima cygno. *Bernard. in quad. epist.*

47. Quomodo in pascua divinorum eloquiorum educet greges dominicos pastor idiota? Sed si doctus quis fuerit, non autem bonus, verendum ne quantum nutriat doctrina verbi, tantum noceat vita sterili. *Bern. super cant.*

48. Canales hodie in ecclesia multos habemus, conchas autem perpaucas: tantæ caritatis sunt, per quos nobis fluentia cœlestia manant ut ante infundere, quam infundi velint: loqui, quam audire paratioris: et prompti docere, quod non didicerunt, et aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. *Ibidem.*

49. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studeat magis amari, quam metui: et si interdum severitate opus est, paternalis sit, non tyrannica, matres fovendo, patres corripiendo vos exhibeatis: suspendite verba, producite ubera, pectora lacte pinguescant, nec typo turgeant. *Ibidem.*

50. Discant à te coepiscopi tui, comatos pueros, et comptos adolescentes secum non habere: certe inter mitratos discurrere, calamistratos non decet. *Bern. de consid. lib. 4.*

51. Improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas: et quorum non zelus salutem, subjectionem nimis ambitiose tibi vendicas. *Bern. super cant.*

52. Væ tibi, si præes, et non prodes, sed væ gravius, si quia præesse metuis, prodesse refugis. *Bern. in apo.*

53. Honores et dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi iis, qui eas digne secundum Deum administrare, et velint et possint, nec cuiquam plures in pluribus ecclesiis habere licet, nisi dispensatione quidem ob magnam vel ecclesiæ utilitatem, vel personæ necessitatem, non propriam, sed communem. *Bern. in quad. epist.*

54. Negligentia prælatorum in tantam deordinationem et confusionem induxit, quod in eis est terra sursum, et cœlum deorsum, pedes sunt supra caput, et facies retro. Interiora effusa sunt extra: Deus ibi conculcatur, et terra deificatur: diabolus honorifice recipitur, Deus vero contumeliose repellitur. Terra sursum est, et cœlum deorsum, ubi terrena cœlestibus præponuntur: pedes sunt super caput, ubi viri spirituales despiciuntur: homines vero terrena sapientes, ad regimen temporalium utiles in honore habentur: facies est retro cum in operibus, quæ videntur bona, potius utilitas terrena intenditur, quam merces æterna. Interiora effusa sunt extra, quum bona interna negliguntur, et exteriora diliguntur: Deus vero conculcatur, et terra deificatur, ubi deficit charitas et regnat cupiditas, diabolus honorifice recipitur, et Deus contumeliose repellitur, ubi raptores et usurarii cum honore recipiuntur, et magnis expensis procurantur: boni vero pauperes vel repulsam patiuntur, vel male procurantur. *Bern. in expositione regulæ beati Benedicti, part. 3. c. 7. tractans ill. Prov. 25. Cælum sursum et terra deorsum.*

55. Multo consilio et prudentia opus est pastori, et mille, ut dicitur, oculis ad speculandam undique hebetudinem earum, quas gubernat animarum. *Chry. in lib. 2. dialog.*

56. Non errores pontificum abscondi possunt oculis, sed etiam exigua eorum celeriter innotescunt, nam et athleta quamdiu domi manet, et cum nullo congredditur, potest, quam infirmus sit, latere quum vero nudus in agone constiterit, qualis sit, confestim probatur: ita ergo, et qui privatam vitam, et non multis occupatam negotiis agunt, habent velamen delictorum suorum ipsam solitudinem: quum vero adducuntur in medium, et illo secreto sicut vestibis exuuntur: per apparentes motus quasi nudas animas sistunt oculis intuentium. *Ibidem lib. 3.*

57. Novi non paucos idoneos suimet fuisse rectores: multum in abstinentia et jejuniis laborantes, quibus

quamdiu licuit esse privatos, et nihil aliud curare, quam propria, et Deo placebant, et in dies non modica Philosophiæ incrementa capiebant. At ubi in populo prodierunt, et multorum imperitias emendare necesse fuit: aliqui inter exordia tantum sustinere pondus non potuerunt officii, qui vero tolerare coacti sunt perennes constantiam, et severitatem priorem, et sibi intulerunt magna dispendia, et nihil aliis profuerunt. *Ibidem.*

58. Sit episcopus temperans et non superbus, sit reverendus, sit negotiis opportunus: regentis quoque auctoritate dignus, et plenus sit. Sit etiam severus, sit mitis et humilis, sit liber et vehemens: sit etiam mansuetus et constans, ut eum quem dignum esse viderit, cum multa potestate sistat: etiamsi universi obstiterint indignum: etiamsi multorum suffragia eum prosequantur, cum eadem auctoritate respuat, nihil aliud respiciens nisi ædificationem ecclesiæ: non quidquam faciat odio vel amore. *Ibidem.*

59. Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cælo: et inter servos Christi non computabitur qui de primatu tractaverit, nec unusquisque eorum festinet quo aliis major videatur, sed quomodo omnibus inferior appareat: quoniam non qui major fuerit in honore, ille justior fuerit, ille est major. Conversatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus. *Ibidem.*

60. Opus quidem desiderare bonum, bonum est, primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se onerat. *Chry. super Matth.*

61. Nemo potest in valle stare, et de monte loqui: ubi stas, inde loquere, aut unde loqueris, ibi sta. Si in terra est animus tuus, ut quid de cælo loqueris? In cælo consiste, si de cælo loqueris. Si justitiam facere non vis, ut quid te præceptorem justitiæ facis? Quare magistrum vocas, cujus non vis esse discipulus? *Chry. super ill. Matth. 5. Jo. ascendit in montem.*

62. Prius in convallibus fit obscuritas die decli-

nante, sic prius in laicis secularibus incepit obscuritas: nunc autem quando vides quod sacerdotes positos in summo vertice dignitatum, qui montes dicuntur, apprehendit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur, quin jam finis est mundi? *Chrys. super ill. Matth. 20. Circa undecimam horam.*

63. Bonus doctor est, qui et in humilitate servat disciplinam, et per disciplinam non incurrit superbiam. *Isidor. lib. 3 de sum. bon. c. 40.*

64. Omne, quod supereminet, plus mæroribus afficitur, quam honoribus gaudet, quanto quisque curis mundi majoribus occupatur, tanto facilius vitiis premitur. Si enim vix animus valet peccata devitare quietus, quanto minus occupatione seculari devinctus? *Ibidem. c. 48.*

65. Quanto quisque in superiori constitutus est loco, tanto in majori versatur periculo: et quanto splendoris honore celsior quisque est: tanto si delinquat, peccator major est. *Ibidem. c. 54.*

66. Episcopi domos non impares ecclesiis magnitudine construunt: pictos delectantur habere thalamos: vestiuntur ibi imagines pretiosis colorum indumentis: pauper autem sine vestibus incedit, et vacuo ventre clamat ad ostium, et, ut verum fatear, spoliantur pauperes sæpe, ut vestiantur lapides et ligna: ornant prætoria columnis: fores domibus anteponunt, quæ utinam pauperes includerent, non excluderent. *Hugo. de claustris animæ. lib. 1. c. 1.*

67. Sunt quidam, qui sciunt et possunt et volunt præesse: quidam qui sciunt et possunt, nec volunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire posse et velle, charitatis est, vel superbiæ. Scire et posse, et nolle, humilitatis est, vel inertia. Nec scire, nec posse, sed velle, cupiditatis est, et stultitiæ. Nec scire, nec posse, nec velle, discretionis est et providentiæ. Qui enim sciunt, et possunt, et volunt præesse, si velint prodesse, charitatis est, alioquin superbiæ. Qui sciunt, possunt, et nolunt, hu-

militatis est, quod renunt: inertia vero cum sciunt, omnino desistant: qui autem nec sciunt, nec possunt: sed volunt, cupiditalis videtur: quod volunt, stultitiæ, si velint, quod nec sciunt nec possunt. Illi siquidem, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt, prudenter agunt. Summa enim discretio est, nolle quod non potes, fugere quod nescis. *Hugo de 12. abuso. clau.*

68. Cunctis quidam se existimant amplius sapere, quibus se vident amplius posse. Hoc amant scilicet videri sapientes? hæc causa fuit angelicæ et humanæ ruinæ. *Ponam, inquit angelus, sedem meam ad Aquilonem: et homini ait, eritis quasi dii scientes bonum et malum.* Timeat igitur prælatus, quod meruit homo, et angelus. Angelus enim cum vellet esse potentior, corrui: homo cum videri vellet sapientior, desipuit. *Ibidem.*

69. Tres sunt species negligentium prælatorum: quidam qui bene vivunt, et subjectos, male vivere permittunt: quidam qui male vivunt, et subjectos bene vivere cogunt: quidam qui male vivunt, et subjectos male vivere volunt. Qui bene vivunt, et subjectos male vivere permittunt: exemplo quidem præcedunt, sed quia corrigendo errantes non increpant, delinquant. Licet enim bene vivant, necesse tamen est, ut de grege sibi commisso, Domino Gregis rationem reddant. Illi vero, qui male vivunt, et subjectos bene vivere cogunt errantes revocant, sed reos et fortes occidunt: revocant, verbis, occidunt exemplis de tertia specie non oportet facere mentionem. *Ibidem.*

70. Recolite quanta et qualia me audiente et probante de administratione pontificis, qui populi sui commissa cura posthabita, ardentius bona præsentia desiderat quam futura, oblitus et quod non solum de se, sed etiam de grege sibi credito, rationem pastori pastorum omnium reddet: sua suorumque detrimenta non cogitat, quem non delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificant, sed de se tantum: plerumque autem nec de se omnino sollicitus, quid suis boni aut mali negatur, ignorat: qui

non prædicat perseverantiam justis, pœnitentiam pravus, contemptum mundi conversis, futuras pœnas avertis. *Prosp. de vita contemplativ. lib. 4.*

71. Quapropter et sancte debet vivere propter exemplum, et docere propter suæ administrationis officium, certus quod nihil ei sua justitia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur: quando quicumque alius perit, quem nulla docendi necessitas movet, solus pœnas sui sceleris dabit. Ille autem cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescit, aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit: et quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? *Ibidem.*

72. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: si impio locutus non fueris, ut se ab impietate sua custodiat, et ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram:* hoc est dicere, si ei peccata sua non annuñciaveris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat, te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente peccavit: flammis perennibus perdam. Rogo quis tam saxei pectoris, et tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus à fide, qui isti sententiæ non credat? Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui hæc non intelligit, aut futura non credit? *Ibidem.*

73. Si annuñciante te ad impium, ut à viis suis convertatur, et non fuerit conversus: ipse impius in iniquitate sua morietur, et tu animam tuam liberasti. Hic certe evidenter ostenditur, quod sive proficiant, sive non proficiant auditores, tacere eis non debent sacerdotes: nec ideo rei sunt, si forte eorum verba populi non audiunt, vel audita contempnunt, sed ab eis corrigendis absistunt: quia sic nec exemplo vitæ præpositorum suorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendari voluerunt, ipsi causa suæ perditionis existunt: et doctores quorum exempla simul et verba despiciunt, involvere criminibus suis omnino non possunt. *Ibidem.*

74. Quidam ante dignitatis adeptionem, satis commendabiles extiterunt: sed super candelabrum eclesiae constituti, lucem in tenebras, et famam in infamiam convertunt: melius plerisque fuisset adhuc laterè sub modio, quam cum infamia candelabrum ascendisse, adhuc enim turpitudine eorum sub paupertatis obscuro lateret, nisi eam dignitas divulgasset. Crevit honor, et cum honore infamia, privato peccanti sæpe par-citur: sed si prælatus deliquerit, in ejus infamiam linguæ omnium acciuntur. *Pet. Chrysologus in quodam serm.*

75. Certe nimis absurdum est in prelato, scurrilitati operam dare, et labia Christi evangelio consecrata, inmunda et damnabili verborum procacitate polluere. *Ibid. in quadam epist.*

76. Prælatio simulationem aperit: illis enim difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se esse probos simulavere. Sunt enim non ex animo, sed ex fortuna, modo humiles, modo elati. Omnium enim rerum nihil ad prælationes tenendas melius, quam diligi, nec alienus, quam limeri. Tutius est volentibus, quam coactis imperare. *Tullius in sua rhetor.*

77. Staium ut ambitiosus promotus est ad honorem, in superbiam extollitur, et in jactantiam effrenatur. Non curat prodesse, sed gloriatur præesse, presumit se meliorem, quia cernit se superiorem, at bonum facit non gradus, sed virtus: non dignitas, sed honestas: priores dedignatur amicos, notos ignorat hesternos, comites contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditat, subesse non palitur, præesse molitur, præceps et audax gloriosus et arrogans, gravis et importunus. *Inno. de vil. conditionis humana.*

Vide etiam in tit. Abusio, núm. 8. in tit. Ambitio, núm. 14. in tit. Clericus, núm. 13. in tit. Compassio, núm. 8. in tit. Correctio, núm. 31, 36. in tit. Divitiæ, núm. 46. in tit. Ecclesia, núm. 8. in tit. Electio, núm. 13. in tit. Excusatio, núm. 4. in tit. Exemplum,

núm. 14, 29. in tit. Honor, núm. 8, 10. in tit. Humilitas, núm. 46. in tit. Judex, núm. 14. in tit. Justitia, núm. 19. in tit. Peccatum, núm. 33. in tit. Pusillanimitas, núm. 4. in tit. Rapina, núm. 4. in tit. Regimen, núm. 10, 11, 14, 33. in tit. Sacerdos, núm. 36. in tit. Superbia, núm. 34. in tit. Tentatio, núm. 6.

PRÆSUMPTIO.

1. Aliter aliquid sapere, quam res se habet, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcedendæ communionis, et condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere, quam res se habet, angelica perfectio est: vita itaque homines sumus, sed spe angeli sumus: quibus æquales in resurrectione futuri sumus quamdiu ergo non habemus perfectionem angeli, non habeamus præsumptionem diaboli. *Aug. de baptismo contra donatistas lib. 2.*

2. Nimum præceps est, qui intrare contendit, ubi alios cecidisse viderit: et vehementer infrænis, cui non inculitur timor alio pereunte. *August. lib. de singul. cleric.*

3. Nulla præsumptio perniciosior, quam de propria justitia, aut scientia superbire. *Aug. super ill. eccle. 7. Non te justifies ante Deum, etc.*

4. Magnus unusquisque, studeat esse, si tamen aliquo modo se esse nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit amittat. *Gregor. in homil.*

5. Quantalibet doctrina mens polleat, gravis imperitia est, velle docere sapienterem. Immensa enim præsumptio est, á seniore sibi reverentiam exigere, silentium imperare meliori. *Ibidem.*

6. In præcipiti pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit, et plerumque amittit, quod poterat, qui audacter ea, ad quæ perlingere non valet, arripere festinat. *Ibidem.*

7. Pia conditoris dispensatione agitur ut de se

confidens anima, dispensatoria tentatione pulsetur, quatenus infirmata, quit sit inveniat, et præsumptionis propriae fastum deponat. *Ibidem.*

8. Præsumptuosus primus in conventibus residet: in consiliis primus respondet: non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, refecit facta: quidquid ipse non fecit aut ordinavit, nec recte factum, nec pulchre æstimat ordinatum: judicat judicantes, præjudicat judicaturis: si quum tempus advenerit, non promoveatur ad prioratum sive in abbatem, aut invidum judicat, aut deceptum. *Bern. de 12. grad. humilitatis.*

9. Quomodo præsumptuosus culpam suam confitebitur, qui necesse putat, nec putari culpabilis patitur: propterea, quum culpa ei imputatur, crescit, non amputatur. *Ibidem.*

10. O superba præsumptio, præsumptuosa superbia, quæ non solum angelos Deo voluit adæquare, sed homines præsumpsit deificare: porro quos erexit, depressit, et quos exaltavit humiliavit, hæc turrim evertit, linguam confudit, Goliath prostravit, Aman suspendit. *Ibidem.*

11. Qui venit institui, ante, quam instituat, alios instituere cupit, et docere ante quam discat: priusquam erudiatur, promulgare vult leges: et ante, quam discat ordines syllabarum, philosophari incipit: priusquam subiciatur, vult habere subjectos: et ante quam majorum jussis obtemperet, eripit jubentis officium: et ante, quam instruat, instruere ac monere usurpat. *Cass. lib. 1.*

12. Plerisque evenit, ut dum fratribus præesse festinant, numquam senioribus ipsi subiciantur, et a superbia inchoantes, dum alios instruere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea, quæ sunt docenda mereantur. Ostentationis nota non caret, qui se ingerit, sed qui invitatur. *Joan. Cass. in collatione Daniel.*

13. Omne malum execrabilius redditur, quando publica præsumptione tractatur. *Cass. super Psal. Et non defecit de plateis ejus.*

14. Constat eum de se præsumere, qui ad sacri

ordinis cupit fastigia pervenire. Merita enim suggerunt bonæ apparentiæ visus, et in qualitate desiderii potest mens honesta cognosci. Quis enim palæstrica artis ignarus in stadium luctaturus introeat? aut quis certamini misceatur, quod virtutis conscientia non suadetur? In ipsis conatibus ægra languescunt, quæ meritorum præsumptionibus non juvantur. *Cass. lib. 4. epist. 25.*

15. Cum non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrum est, quod habemus? Stultitiæ genus est, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum. *Val. epist. quodam serm.*

16. Temeritatis subiti et vehementes sunt impetus, quorum ictibus hominum mentes concussæ nec sua pericula respicere, nec aliena facta justa æstimatione prosequi valent. *Val. Max. de memorialibus dict. lib. 9.*

17. Rex Persarum Xerxes, Græcis bellum indixit, cui familiarium unus dicebat, Græcos adventum nuntii belli non expectaturos: sed ad primam adventus famam terga versuros: alius dicebat: Græciam non vinci, sed obrui mole exercitus: alius timendum esse, ne urbes vacuâs vel desertas invenirent, non habiturum regem ubi tantas vires exercere possit: alius dicebat: vix illi naturam rerum sufficere, angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis, equestribus campestria, cælum vix patere sagillis: dum in hunc modum regem æstimatione nimia sui furentem confuscarent, dixit Damaxatus: Multitudo ista, quæ tibi placet, tibi metuenda: verum est enim permagna nunquam posse regi, nec diu durare potest, quod regi non potest, nihil tam magnum quod perire non possit: sic contigit, ut dixit Damaxatus. Nam ut fugax animal pavido regressu regnum suum repetere est coactus. Multi enim ignorant vires suas, et dum credunt se tam magnos, sicut audiunt, altraxere super vacua bella, et in discrimine perventura. *Val. Max. lib. 1.*

18. Imperita rusticitas plura promittit, et credit

se scire quæ nescit. *Veg. li. de re mil. lib. 5.*

Vide etiam in tit. Bellum, núm. 2. in tit. Confidentia, núm. 1, 2, 3, 9. in tit. Consideratio, núm. 3, 4, 30. in tit. Contemplatio, núm. 7. in tit. Curiositas, núm. 4. in tit. Desperatio, núm. 1. in tit. Divitiæ, núm. 8. in tit. Doctrina, núm. 10. in tit. Fortitudo, núm. 11. in tit. Humilitas, núm. 1, 13. in tit. Jactantia, núm. 9. in tit. Justitia, núm. 3, 4. in tit. Prælatio, núm. 4, 5, 68. in tit. Securitas, núm. 9. in tit. Superbia, núm. 29.

PRODITIO.

1. Judas de Apostolatus fastigio in prodilionis tartarum labitur, nec familiaritate communi, nec intentione bucellæ, nec obsequii gratia frangitur, ne hominem tradat, quem filium Dei noverat. *Hier. in epist. ad Rust. mo.*

2. Instrumento pacis mortem irrogat: servus dominum, discipulus magistrum sic prodit, quasi, inquit, per instrumentum pacis, perimis ipsam pacem, de osculo machinaris ipsam prodilionem. *Ambr. super illud Mat. 26. Et osculatus est eum.*

3. Cum Socrati rex Persarum magnam pecuniam tentans, ejus animum in prodilionem dirigeret, admitti legatos jussit, cum forte olera comederet, audite inquit, hoc prandium proditorem facit. *Val. Max. lib. 7.*

Vide etiam in tit. Ecclesia, núm. 19. in tit. Inimicitia, núm. 16. in tit. Militia, núm. 13. in tit. Societas, núm. 2, 4. in tit. Veritas, núm. 2.

PROPECTUS.

1. Tormenta animi non sentit in ecclesia, qui non proficit, putat enim quia pax est, sed incipiat proficere, et tunc videt in qua presura est: quia cum crevissent herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. *August. super Psalm. 29.*

2. Quantumcumque hoc profecerimus, nemo dicat:

Sufficit mihi, justus sum: qui dixit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixit, sufficit mihi, ibi hæsit. Ibidem 66. Ego vero egenus et paup. sum.

3. Quum cæperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pali linguas adversantium, quicumque illas nondum passus est, nondum proficit, quicumque illas non patitur, nec conatur proficere. *Aug. super Psalm. c. 49.*

4. Non tu in accipiendo proficis, et Deus in dando deficit, quantumlibet capaces fauces, rapacem ventrem afferas, fons vincit sitientem. *August. de ver. apo. c. 16.*

5. Nemo quantum proficit, nisi inter adversa cognoscit. *Greg. lib. 24. moral.*

6. Sequens ætas cum aliqua opinabili novitate succedit: nam si gloriosum est posteris avitas extendere facultates, quanto præstantius hereditarias augere virtutes? *Cass. lib. 2. epist. 22.*

7. Veneror inventa à sapiente: mihi ista acquisita sunt, mihi laborata: sed agamus bonum patrem familias: faciamus ampliora, quæ accepimus: major ista hæreditas à me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio adhuc aliquid audiendi. *Sen. 65. ep.*

Vide etiam in tit. Exemplum, núm. 8. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Otiositas, núm. 2. in tit. Studium, núm. 7. in tit. Tribulatio, núm. 22.

PROMISSIO.

1. Est contra officium nonnunquam promissum solvere sacramentum, sicut Herodes qui necem Joanni præstitit, ne promissum negaret. *Ambr. lib. 4. de offic.*

2. Quid honestius, rem negare, aut longos terminos dare? terminum termino addere, negandi est hoc tempus, calliditas negandi. *Cass. in quadam epist.*

3. Expectans expectavi Dominum, nec intendit mihi. Sperabam quod daret effectum verbum suum, et gratiam quam verbis promiserat, operibus exhibe-

ret: adhuc etiam promissam expecto gratiam, forsasse sicut Arcturum Britannia, sicut Judæa Messiam. Magna enim debet esse in promissione discretio: quia inanis promissio sæpe de amicis sibi comparat inimicos. *Pet. Chrysolog. in quod. serm.*

4. Timeo ne in nostra promissione illud vulgare proverbium locum habeat: Dum herba crescit, equus moritur: et dum fugans canis mingit, fugiens lupus evadit: dubitatur enim, an sit beneficium, cujus dilatio cruciat expectantem. *Ibidem.*

3. Sunt qui plura promittunt, et pauca reddunt, et eos quibus mentiendo promittunt, inimicos sibi faciunt. *Glos. super Eccl. 22. Mores homin. mend. fine.*

6. Priusquam promittas, delibera: et quum promiseris facies: prius si negaveris, fecisse postea fallere est. Id ergo agas, ut ne quis merito tuo te oderit. *Sen. in lib. de mor.*

7. Pacla semper et promissa sunt, quæ nec vi, nec dolo malo facta sunt. Illa servanda non sunt, quæ non sunt ipsis utilia, quibus illa promiseris. *Cic. 3. Offic.*

8. Promissa servanda non sunt, si tibi plus noceant, quam illi prosint, cui promiseris. *Ibid. 1. Off.*
Vide etiam in tit. Beneficia, núm. 33.

PROXIMUS.

1. Non diligis proximum tuum tanquam teipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducis. *August. de mor. lib. 1.*

2. Qui ergo amat homines, aut quia justus sunt, aut ut justus sint, amare debet. Sic enim et semetipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit. Sic enim diligit proximum tanquam seipsum sine ullo periculo. *Aug. octavo de trin. c. 6.*

3. Proximos diligimus, sicut nosipsos, quum nulli malum facimus, et omnes simili, ut nosmetipsos, affectione tractamus. *Cass. super Psal. c. 33.*

Vide etiam in tit. Acceptio, núm. 4. in tit. Adjutorium, núm. 15, 32. in tit. Amor, núm. 22, 28,

35, 36. in tit. Charitas, núm. 17. in tit. Compassio, núm. 7. in tit. Consideratio, núm. 22. in tit. Contemplatio, núm. 11. in tit. Conversatio, núm. 38. in tit. Convitium, núm. 1. in tit. Dilectio, núm. 18. in tit. Discordia, núm. 11. in tit. Excusatio, núm. 14. in tit. Voluntas, núm. 21.

PROSPERITAS.

1. Nemo frangitur adversorum molestia, qui prosperorum delectatione non capitur. *August. de verb. Dom. lib. 2.*

2. Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ullor, et adest laudator. Major hæc ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator, ut ista patiatur: id est, ut correctionis flagella non patiatur. *Aug. super Psal. 7.*

3. Magna virtutis est cum felicitate luctari: ne illiciat, ne corrumpt, ne ipsa subvertat felicitas: magna inquam virtutis, cum felicitate luctari: magna felicitatis est, a felicitate non vinci. *August. de verb. Dom. c. 15.*

4. Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa quaratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. *Aug. super Matth. ser. 29.*

5. Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certam dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. *Aug. epist. 56.*

6. Nulla res longa mortalium est, omnisque felicitas seculi dum tenetur, amittitur: quum enim tribulationis tempus advenerit, omne quod præteritum est, nihil adjuvat sustentem. *Hier. super Isa. lib. 7.*

7. Difficile, imo impossibile est, ut presentibus et futuris quis fruatur bonis, et et hic ventrem, et ibi mentem impleat: ut de delitiis ad delitiis transeat, et in utroque seculo primus sit, ut in terra, et in cælo appareat gloriosus. *Hieron. in quadam epist.*

8. Si haberes sapientiam Salominis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitalatem Enoch, si divitias Cræsi, si felicitatem Octaviani, quid prosunt hæc, quum tandem caro datur vermibus, et anima dæmonibus, cum divite sine fine crucianda? *Hier. super ill. Matth. 47. Quid prodest homini si mundum lucretur animæ suæ detr. etc.*

9. Sancti viri quum sibi suppere prospera hujus mundi conspiciunt, pavida suspitione turbantur, timent enim ne hic laborum suorum fructus recipiant: timent ne quod divina justitia latens in eis vulnus aspiciat, et exterioribus os vulneribus curans, ab inimicis repellat. *Gregor. in moral.*

10. Quem nec abundantia in superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. *Greg. super Ezech.*

11. Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens favet effectus, et nulla contrarietas impedit, quod mens perversa concepit. *Greg. mor.*

12. Quum quis positus in prosperitate diligitur, incertum est utrum prosperitas, an persona diligitur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis: nec prosperitas quippè amicum indicat, nec adversitas inimicum celat. *Ibidem.*

13. Justis amplius placet ex adversitate mala perpeti, quam ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari. *Ibidem.*

14. Sæpe omnipotens Deus cum avaræ menti vehementer irascitur, prius ei permittit ad votum cuncta suppere, et post hæc per ultiorem subtrahit, ut pro eis debeat supplicia æterna tolerare. *Gregor. lib. 25. moral.*

15. Iniquus prosperari in sua mala actione permittitur, quatenus et perversa faciat, et tamen feliciter vivat. Perversus quisque quanto citius pervenit ad desiderium, tanto facilius rapitur ad tormentum. *Gregor. in moral.*

16. Præsentis vitæ prosperitas innocentiae testis non

est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, et plerique ad infinita supplicia perducendi sine flagello moriuntur. *Ibidem.*

17. Præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, ut ad meliorem vitam provocet: aliquando, ut in æternum plenius damnet. *Gregor. in pastoral.*

18. Solet rerum abundantia, tanto magis à timore divino mentem solvere, quanto magis hinc exigit diversa cogitare. *Gregor. in hom. quadam.*

19. Præferendus ille, et magnus est, cui inter prospera saltem, risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatio cura vestis vel corporis non irrepit. *Bern. lib. 2. de consid.*

20. Quid profuit illis superbia? quid divitiarum jactantia? mundi potentia? vana voluptas? brevis lætitia? magna familia? mala concupiscentia post voluptatem? Ubi jocus? ubi risus? ubi jactantia? ubi arrogantia? heu de tanta lætitia, quanta tristitia! *Ibidem.*

21. De divitiis et floribus et majorum nobilitate te jactas: de patria et pulchritudine corporis, et honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, te exaltas: respice teipsum, quia mortalis es, et quia terra es, et in terram ibis: circumspice eos, qui ante te sedereis fulcere splendoribus. Ubi sunt, quos ambiebant cibum potentatus? ubi insuperabiles Oratores? ubi qui convenientius festa disponebant? ubi equorum splendidi nutritores? ubi exercituum duces? ubi satrapæ et tyranni? nonne omnia pulvis? nonne omnia favillæ? nonne in paucis versibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulchra et vide, quis servus, quis dominus, quis dives: discerne si potes victum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaque tui esto, ne aliquando extollaris: memor autem eris, si teipsum respexeris. *Prosp. in suis sent.*

22. Noverca virtutis prosperitas, baculis suis sic applaudit, ut noceat: et infelici successu sic fortunatis obsequitur, ut in fine pernitem operetur: conviviis suis ab initio propinans dulcia, et quum inebriati fuerint, letale virus miscet: et si quid deterius est

quo specie sui clarescit, amplius eo stupentibus oculis densiorem infundit caliginem. *Chrys. lib. 1. de curialium nugis et vest. Philos.*

23. Suis quippe meritis putaret datum, si peccator jugiter floreret illasus: ideo Daniel salvatus est et trium puerorum flamma superata est. Dicamus ergo hunc versum in quibuslibet periculis, dicamus in gaudiis: quia talis confessio et ab ærumnis eripit, et in prosperitate custodit. *Cass. super ill. psalm. Justus es Dom. et rectum jud.*

24. Sæpius in altum quis attollitur, ut ruens fortius conquassetur. Nam sæpe videtur fortuna in principio prospera nuntiare, sed medium et finem replet multis adversitatibus, et concludit. *Raban. in quodam serm.*

25. In omni adversitate fortunæ infelicissimum infortunii genus est, aliquando fuisse felicem. *Boet. de consolat. lib. 2.*

26. Quam nullis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est. *Ibidem.*

27. Quem felicitas amicum, infortunium facit inimicum. *Ibid. lib. 3.*

28. Cætera exempla fortunæ variantis innumera. Etenim quæ facit magna gaudia, nisi ex malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudiis? Nulla est profecto solida felicitas, quam contumelia ulla vitæ rumpit. *Plin. lib. 7. historiarum mundi.*

29. Omnia, quæ superfluunt, nocent: segetem nimia sternit ubertas, rami onere franguntur, ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem quoque animis evenit, quos immoderata prosperitas rumpit, qua non tantum in aliorum injuriam, sed etiam in suam utuntur. *Sen. 28. epi. ad Lucill.*

30. Ad omne fortuitum bonum suspiciosi et pavidi stare debemus, et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur: munera ista fortunæ reputamus, insidiæ sunt, beneficia ista usitata nos habere putamus. *Ibidem.*

31. Res est inquieta felicitas, ipsa se exagitat: movet cerebrum; non uno genere alios in aliud iritat:

hos in potentiam, alios in luxuriam, hos inflat, hos mollit et totos resolvit. *Sen. 57. epist.*

32. Ipsa enim felicitas nisi temperetur, premit, vel præterit. Multarum urbium in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt: et quidquid virtute paratum erat, intemperantia corrumpit. *Sen. 85. epist.*

33. Neminem eo fortuna provexit, ut non tantum minaretur illi quantum promiserat. *Senec. 24. epist.*

34. Ludit de suis fortuna muneribus, et quæ dedit aufert, quæ abstulit reddit, nec unquam tutius est illam experiri, quam quum locum injuriæ non habet. *Sen. lib. 3. rhet. sua.*

35. Magni animi calamitatibus magnis sæpius evitantur: quietiora tempora pauperes habuimus, aurato capitolio bella civilia gessimus. Divitias putas aurum et argentum ludibria sunt fortunæ, quæ inter jocum ipsis dominis veniunt. Omnis enim blandientis fortunæ speciosus de periculo nitor est: et sine causa sæpe fluit, et sine ratione desinit. Nulla certa felicitas est. Ille Cræsus inter reges opulentissimus victis post tergum manibus ductus est. *Sen. de sen orat.*

36. Non habet ut putamus, fortuna longas manus, neminem occupat, nisi hærentem sibi. *Senec. in quad. epist.*

37. Lætiore relinquit, quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit. Noli huic tranquillitati confidere, in momento mare evertit: eodem die, quo tibi luserant navigia sorventur. *Sen. lib. de tranquill. ani. circa medium.*

38. Minus diligenda sunt prospera, quæ a desperatione sumunt principium. *Ibidem.*

39. Quæ concessit fortuna, temperet justitia: quod justitia invenerit, temperet moderantia: si enim auxeris licentiam tuam, minuis gloriam. *Soc. in suis echor.*

40. Fortuna ut medicus ignarus multos excæcavit, non autem ipsa fortuna cæca est, sed eos cæcos plerumque efficit, quos complexa est. *Tull. de amicitia.*

41. Errant, qui in prosperis omnes impetus for-

tunæ putant fugisse, sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant. *Tullius 2. Rhetor.*

42. * Ut adversas, sic secundas res immoderate ferre, levitatis est, præclaraque est æquabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons. *Ibid. 2. Offic.*

43. Semper humanæ lætitiæ tristitia repentina succedit, et quod incipit á gaudio, desinit in mœrorem. Mundana quippe felicitas multis amaritudinibus est respersa: novit ille, qui dixit, *risus dolore miscbitur, et extrema gaudii luctus occupat. Innoc. de vil. cond. humana.*

44. Subito quum non suspicamur, infortunium accidit, calamitas irruit, morbus invadit, mors intercipit, quam nullus evadit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 30, 36, 57. in tit. Amor, núm. 1, 2. in tit. Anima, núm. 40. in tit. Beatitudo, núm. 22. in tit. Bonum, núm. 7. in tit. Consilium, núm. 24. in tit. Crux, núm. 6. in tit. Divitiæ, núm. 1, 46, 57. in tit. Gaudium, núm. 9, 21. in tit. Miseria, núm. 16. in tit. Potestas, núm. 17. in tit. Relinquere, núm. 13. in tit. Tentatio, núm. 14. in tit. Tribulatio, núm. 12, 13, 30.

PROVIDENTIA SIVE PRUDENTIA.

1. Ubi cumque fuerit providentia, frustrantur universa contraria: ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. *Aug. in lib. de singul. cler.*

2. Prudentia est amor, ea, quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter eligens. *Aug. lib. de mo. Eccl.*

3. Quum viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria sibi desint, non judicemus eum de crastino sollicitum esse: nam et ipse Dominus propter exemplum oculos habere dignatus est: in Actibus Apostolorum scriptum est: *ea, quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. Aug. in lib. de se. Do. in monte.*

4. Providentia Dei omnia gubernantur, et quæ pu-

tatur pœna, medicina est. *Hier. super Ezech.*

5. Omnes sumus in minimis caulii, in maximis negligentibus: hoc itaque fit, quia ubi vera vita sit, ignoramus. *Hier. in lib. de homine perfecto.*

6. Minus jacula feriunt, quæ prævidentur, et tolerabilius mala mundi suscipimus, si contra hæc per providentiæ clypeum munimur: sagitta enim præcognita facilius evitatur. *Greg. in ho. Quum audieritis prælia.*

7. Prudens dicitur quasi porro videns. Perspicax est enim et incertos providet casus. *Isid. in lib. cali.*

8. Scopus ille vitandus est, ubi alter offendit: pecora ipsa vitare norunt quæ læsisse cognoscunt: itinera illa non repetunt, ubi in foveam corruerunt. Tenaces laqueos avis capta declinat: rete avis suspecta non incidet: et omnia quæ possunt habere contraria, facilius casus assumerent, si curam salutis propriæ non haberent. *Isid. lib. 4. epist.*

9. Quanto majora timentur esse dispendia, tanto promptior et perfectior debet esse cautela. *Pet. Chrys.*

10. Imprudentia, est obtemperatio mentis qua quis minus providens est in providendo præterita vel futura. *Tullius. 2. Rhetor.*

11. * In prudentia duo vitia vitanda sunt, ne incognita pro cognitis habeamus, ipsisque temere assentiamus: quod vitium effugere qui velit (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam: alterum est vitium, quod quidam magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easque non necessarias. *Ibid. 1. Offic.*

12. Providentia est præsens notio futurum pertractans eventum. *Sen. de 4. virtutib.*

13. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris, et prout rerum ac temporis varietas exigit, ita te accommodes temporis: nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus quæ eadem est, quum in palma extenditur, et quum in pugnum adstringitur. *Ibidem.*

14. Prudentis proprium est, examinare consilia,

et non cito facili credulitate ad falsa pro labi: de dubiis non diffinias, sed suspensam lene sententiam. *Ibidem.*

13. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone: nihil tibi subitum sit, sed lectum ante prospicias: nam qui providens est, non dicit: non pulavi hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat: non suspiratur, sed cavet. *Ibidem.*

16. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispenses: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare, nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. *Ibidem.*

17. Prudens si terminos suos excedit, callidus et investigator latentium, et scrutator qualiumcunque noxarum ostenditur, maledico fastu plenus: versipellis et simplicitatis inimicus, commentator est culparum, et postremo uno nomine à cunctis malus homo vocabitur, in has ergo maculas prudentia immensurata perducet. *Ibidem.*

18. Præcogitati mali mollis ictus venit, ideo stultis fortuna credentibus omnis videtur nova rerum inopinata facies. Sapiens autem assuescit futuris malis, et quæ alii diu paliendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. *Sen. 77. epist.*

19. Quidquid à sapiente diligenter praevidetur, quum ad rem agendam perventum fuerit, facillius superatur, atque decernitur. Melius enim est ante tempus occurrere, quam post vulnus datum, remedium querere: nam sibi non est cavendi tempus in medio malorum. *Sen. de mo.*

20. Bonum est in alieno malo fugienda intueri. Ruina præcedentium docet posteros: et cautio est semper in reliquum lapsus anterior: ex vitio enim alterius sapiens emendat suum: et ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus. Indemnis autem est castigatio, quam persuaserunt extranei, juxta illud: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. *Senec. de Prov.*

21. Gravius nocet, quodcumque in expertum accidit. Melius est præcavere, quam pavere, utilius est erubescere, quam pavescere. *Ibidem.*

22. Excludenda sunt omnibus modis languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à ventre, à civitate seditio, à domo discordia, à cunctis rebus intemperantia. Duorum temporum maxime habenda est cura: mane et vespere: in altero gerenda prospice: in altero respice quæ gessisti. *Pytha. in præcept.*

23. Prudentis est, ne quem in casum incidat, cavere: et si quod forte acciderit, fortiter ferre. Fortis nemo potest judicari, nisi et prudens fuerit. *Soc. in suis sent.*

24. Virtus sine sapientia temeritas periculosa putanda est. Quid prudentis opus est? eum posse et nolle nocere. Quid stulti proprium? non posse, et velle nocere. Quænam summa boni mens? quæ sibi conscia recti. *August.*

Vide etiam in tit. Consilium, núm. 6, 26, 29, 34. in tit. Liberalitas, núm. 11. in tit. Prælatio, núm. 23. in tit. Sapientia, núm. 23. in tit. Timor, núm. 30. in tit. Tribulatio, núm. 16.

PUSILLANIMITAS.

1. Segnissimi est torpere, cum se ad provectum cognoscat invitasse. *Cass. lib. 45. epist. 4.*

2. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminil, quum vocatur ad regnum. Jacens animus plebeum numulum thesauris regalibus anteponit: pauper sensus, qui parvis incumbens, perdit magna, et inhians temporalibus perdit sempiterna. *Pet. Chrys.*

3. Contentus esto negotiis, in quæ descendisti: nec luctare cum officio, quod semel cepisti. Turpe est oneri cedere. *Seneca.*

4. Remissio, quæ os prælati obstruit, quæ mentem ejus dejicit, quæ adulatorem et venditorem olei facit, dum sibi quietem et honorificentiam venatur in favorem principum, hæc miseros præcipitat in foveam